Ludouico Bero, theologo Parisiensi, nihil attulit. Libellos Vuicelii carptim degustaui &c.

Non timeo hic tuas, Morysine, calumnias, si mihi dixeris de Erasmi, quae de Mori epistolis ad me datis antea dixisti, nempe quod a meipso sint confictae. Plures enim Erasmi quam Mori Epistolas autographos apud me habeo quas, vbi opus fuerit, exhibere potero. Arbitror sane Regi Erasmi manum probe notam esse, ad quem toties scripsit. Quod si Rex eam sit oblitus non deerunt episcopi aliquot, qui eam in plerisque viderint epistolis. Vix enim vlla est in orbe christiano natio ad quem plures miserit Erasmus epistolas quam ad Anglos.

3002. From John Angelus Odonus.

Basle MS. Erasmuslade. Strasbourg. ⟨c. March⟩ 1535.

[In the university library at Basle. Dated 1535, the letter must have been written c. March of that year, since Odonus speaks of his intention of calling on Erasmus at Easter (Easter Sunday, 1535, fell on 4 April). The original has not survived; for on 16 May 1535 Odonus sent to Cognatus a number of verbal corrections (in particular he wished to correct two lines of his poem in which he had been guilty of a false quantity—about which Erasmus had rallied him when they met): in the extant version the passages mentioned have all been corrected. See Cog. E. i. 306–9. Erasmus seems in fact to have lost the original letter; for in July 1535 Hedio received a letter from him saying that it had been carried off by a Genoese (perhaps Maruffus: cf. Ep. 3025), and asking for a copy: 'primum exemplar a quodam Ianuense per vim ablatum est' (Cog. E. i. 312). The text here printed may be presumed to be the copy sent in answer to this request. In Dec. 1537 Odonus was considering printing his letter—he discusses the project in a letter to S. Litonus, preserved in the Frey Grynaeus collection at Basle, tom. xiv, MS. II. 14. The letter to Litonus was written from Sinapius' house at Ferrara; and it was through Sinapius that Erasmus first heard of Odonus and his friend Philaenus. In April 1534 the two friends were still in Italy. They were leaving Italy for Germany (for the reasons given in ll. 991–1018 of the present letter). Sinapius furnished them with a letter of introduction to Erasmus (see the letter of Sinapius to Philaenus printed by Staehelin in *Briefe aus der Reformationszeit*, pp. 25–6). Ep. 2956, written in July 1534, shows that Erasmus had received Sinapius' letter of introduction, through Jerome Froben; and he was expecting to see Philaenus. When the present letter was written Odonus was uncertain whether Erasmus had in fact received Sinapius' letter; as a consequence, when they visited Erasmus, he and Philaenus brought with them an introduction from Capito (ll. 985–991). Their personal contact with Erasmus seems to have been limited to two calls which they made on him (Cog. E. i. 307); whether they were actually staying in Freiburg at the time is not clear—Odonus speaks of Cognatus accompanying them to their carriage, which perhaps suggests that they came from a distance. The visit fell between Easter and the middle of May; for on May 16th Odonus had returned to Strasbourg, carrying with him a letter from Erasmus to Hedio (Ep. 3020; see Cog. E. i. 306–9).

Five letters from Odonus to Cognatus are printed in Cog. E. i. 306–14,

---

leave Freiburg in the last week of Jan.; though it is likely that his departure was delayed, for he was not in Rome until the latter part of March (see Ep. 2988 introd.). But Erasmus may mean that he consulted with Ber on the subject of the divorce generally, at an earlier date.

3001. 19. Libellos] Though no specific work is indicated, the fact that Erasmus is writing to Cochlaeus makes it likely that he is thinking of Cochlaeus' 'Contra Fures alienae Epistolae et eosdem Criminatores alienae Famae', 1535 (see WE. Ss iii)—the stolen letter was a letter of Cochlaeus to Witzel.

23. Mori Epistolas] The reference is to Cochlaeus' volume *Epistola Nicolae Pape 1*, 1536 (with a section of letters from More and Erasmus).

together with a letter from Philaenus to Cognatus (all May–Oct. 1535). Two letters from Sebastian Gryphius to Odonus and Philaenus, 5 Feb. and 7 May 1535 are preserved in Basle MS. G². I. 18. nº 29; ff. 17–18. In Strasbourg (Stadtarchiv, *Epistt. ad historiam ecclesiasticam s. xvi pertinentes* i. 28) there is an autograph letter of Odonus to Bucer, dated Venice, 16 June 1534 (of which there are also copies at Basle and Zurich). Two letters of Grynaeus to Bucer, 19 and 20 Sept. 1534, preserved in autograph at Strasbourg (*ib.* iv. 234ᵃ, 234ᵇ) and in copies at Zurich, introduce Odonus and Philaenus—Grynaeus mentions that they have been commended to him by Sinapius. Outside these letters, and those already mentioned, we have no particulars of Philaenus and Odonus. From the letters of Sinapius and Gryphius we learn that the full name of Philaenus was Philaenus Lunardus. From the present letter we know that he was a native of Bologna, where both he and Odonus received their education. At Bologna both of them had witnessed the meeting of Charles v and the Pope (ll. 1014–16). Odonus, the son of a doctor of medicine (ll. 878–87), was born at Penne in the Abruzzi (ll. 485–7), and educated for his father's profession. He had four married sisters, and a brother, Caesar, apparently two years younger than himself. Caesar is conceivably the Caesare Odoni mentioned in Tiraboschi 7, p. 895; and may be conjectured to be the Caesar Odonus 'philosophus ac medicus' who, in 1561, published at Bologna *Theophrasti sparse de Plantis sententiae in continuatam seriem ad propria capita reuocatae nominaque secundum literarum ordinem disposita*. He was at that date practising as a physician in Bologna; where two years later he published *Aristotelis sparse de animalibus sententiae*. A 'libellus posthumus', *De Vrinarum Differentiis*, was printed in 1658 in H. Martinius' *Anatomia Vrinae*. Philaenus had been studying law for six years. At the date of the present letter both friends had abandoned their professions and taken up the study of theology in Strasbourg, where they were learning Greek and Hebrew—studies for which Bologna furnished no adequate facilities. From Cog. E. i. 311, and from Gryphius, we learn that they lived at Strasbourg with Bucer; and from this letter that they enjoyed the friendship of Capito. Their connexion with Sinapius suggests that they made their first contacts with the reforming movement in Ferrara. Odonus appears a child both of the Renaissance and the Reformation. The pupil of Bucer and Capito is an enthusiastic student of Dante, Boccaccio, Petrarch, Ariosto, and Machiavelli.

In the latter part of 1535 Odonus seems to have paid a visit to Lyons. There he made the acquaintance of Dolet, to whose lodging he was taken by Hortensius Landus—he had known Landus at Bologna (Cog. E. i. 313–14; cf. Gryphius' letter of 5 Feb. 1535).]

SALVE Erasme, virorum omnium, quos hic Sol videt, omni virtutum, omni doctrinarum genere praestantissime, mihi vero oculis meis (Deus ipse scit me vera dicere), ac vita mea longe charior. Sed audi obsecro, ne te subtrahas, amabilissime Erasme. Neque enim nunc animus est, quanquam mihi supra quam dici queat suauissimos, tuarum laudum campos ingredi, hoc est maria concha, coelos claudere pugillo. Verum hic aliquot modo scintillulas videbis ex illa magna amoris in te nostri flamma promicantes, qua nos iam septem et eo amplius annos miris flagrare modis coepimus. Ac ipse quidem satis noui et meam humilitatem et sublimitatem, Erasme, tuam qua iam es omnium iudicio supra omnem humanae sortis aleam euectus. Nec me fugit quantae audaciae atque adeo criminis sit, doctorem tantum, ita perpetuo reipublicae Christianae commodis incumbentem, a seriis vllo pacto studiis vel ad breue tempus auocare. Sed quid faciam, mi Erasme humanissime, si igneam amoris vim iam dudum erumpere gestientem diutius cohibere non potui? In sinum itaque

---

8–9. septem . . . annos] In his letter to Bucer Odonus attributes his interest in Erasmus to his schoolmaster; to the same effect Cog. E. i. 310, where the master's name is given as Uranius.

tuum effundam necesse est animum hunc meum, in quo tu iam pridem cum mea magna voluptate magnoque desiderio late regnas. Verum ipse poteris meum hoc non nihil reddere crimen leuius, si horam his legendis aut audiendis minime seriam captabis; nam ego quam praefiniam non habeo: nullam enim, neque pomeridianam neque cibi aut somni capiendi vacare tibi reor a lectione sacra, meditatione, aliisque studiis maioribus.

Ego nunquam experimento quid esset, quidue posset amor hominis in hominem satis antea didiceram: verum flammeas eius vires protinus cuncta rapientis, subeuntisque penitissima, tum primum in ipsis coepi sentire praecordiis et venis, quum te nobilissimumque nomen tuum in sacris vidi voluminibus inscriptum. Nam etsi multo ante mihi in aliis praeclaris ingenii tui monumentis satis cognitus maximeque charus esses et admirandus (praeter prima enim pueritiae in Latinis tantum literis rudimenta, si quid Graece, si quid Latine scimus, tibi prorsus vni debemus), tamen simul atque sancta etiam argumenta tuum habentia titulum in meas manus deuenere, ea repente ac postea subinde amoris facta est accessio, vt vere in me tritum illud Ciceronis conueniret qui tum demum amare, antea mihi vix viderer dilexisse. Tanto protinus ardore legi, tam indefesso dulcique studio euolui, primum familiaria colloquia, mox Christiani militis Enchiridium, cum primo iunctum psalmo, deinde Apostolorum ac Euangelistarum Paraphrases, praeterea Theologiae Methodum, hinc luculentissimas noui Testamenti Annotationes, caeteraque id genus non minus facunda quam pia, nec minus pulchra quam sacra religionis nostrae decora, quae felicissimum istud ac diuinitus illustratum ingenium nobis quotidie cudere non cessat. Cuius quidem rei vel Philaenum hic meum testem habeo, moribus iuuenem spectatissimis ac fide, si quis vnquam, optima, nedum ipsum Deum *καρδιογνώστην*, qui vere scit me nihil fingere. Atque illa, vti dicebam, omnia tanto mihi studio quaesiui ac paraui vt omnis impatiens morae aliquot libros nondum compactos legerim, caeteris rebus omnibus, quantum poteram, relictis, diurnamque noctibus sarciens intermissionem: tam aegre ab illorum lectione abstrahebar: libenter enim, si licuisset, *ἀπνευστὶ* atque *ἀμυστὶ* perlegissem omnia.

Nec ea sane tanta mihi de nihilo voluptas. Illic etenim primum Christum Dominum Deumque meum scire coepi; inde primum religionem hausi Christianam, antea ferme *ἄχριστος καὶ ἄθεος* (si superstitio pietas non est). Inde immortalia Iesu Domini assertorisque mei sensi beneficia. Inde quid ego tum illi, tum proximis deberem didici. Hinc factum est vt non nulli me vocare coeperint *Ἐρασμιανὸν* (quum *Χριστιανὸν* potius debuissent), quod nusquam tuis me libris incomitatum viderent aut prodeuntem, aut prandentem, aut coenantem, aut denique dormientem ac surgentem. Atque vtinam tam honorificum nomen vere in me competat, quod quidem nobilissimi etiam senatores, ac primarii summorum Caesarum a consiliis, iidemque linguarum ac liberalium disciplinarum peritissimi, optabile sibi in primis atque gloriosum censuerunt; hoc est, vtinam eo pectore Christi summam in me beneficentiam redamem, vtinam proximorum tam sim officiis expositus, vtinam tam bene ipsis ego factis religionem tester Christianam, quam bene tu copioseque et me et lectores tuos

ad ista omnia instruxisti. Nam inimitabilem summae doctrinae vim ac eloquentiae absit tam demens tamque Icarus sim vt optare, nedum sperare, vnquam ausim.

Sed vt ad meum redeam amorem: quaecunque mihi quidem de maxima amorum potentia vel apud scriptores lecta sunt vel a sodalibus pro comperto narrantibus audita, qui non splendidis fucatisque verbis, sed re ac vultu ipso rei magnitudinem ostendebant, ea mihi deinde omnia in te, mi Erasme, tametsi nondum viso, contigerunt. Ad tuum siquidem nomen exauditum cor ipsum salit protinus, vultus afficitur varie. Siquid de te dictum iniquius ferit aures, id ego longe fero grauius quam si mihi colaphus aut alapa impingeretur. Nec omnino possum aliquando quin aut verbis aut scriptis arguam vel manifestum odium inuidiamque vel impudens mendacium vel apertam blasphemiam atque impietatem Zoili, sycophantae, nebulonis. Nam huiusmodi animantes pariunt nobis litem. At rursus quum te audio in corona doctorum vel citari honorifice, vel tuos labores pro dignitate magnifieri, quam in sinu gestio! quam exulto! quam triumpho! non paulo plus profecto quam filii sibi soleant in parentum victoriis, gloria ac maiestate gratulari. Quid vero dicam de amantum somniis, quum illa noctes ferme omnes ac perpetuas te mihi faciant praesentem, colloquentem et complectentem? Nam interdiu non alia recursat cogitatio aut iucundior aut frequentior; non sermo alius aut lectio suauior. Atque hi quidem affectus tanto sunt in nobis vehementiores quanto aethereus ille amor meus vulgarem istam insanamque poeticorum turbam Cupidinum ingenio ac viribus antecellit. Cupido enim ille coelestis, coelestiumque rerum mentibus amorem inserens, ille, inquam, fecit vt tuas potissimum dotes amarem, tua potissimum, quibus vndique a Christo ornatus es, munera suspicerem: quae quidem haud humilia, nec fluxa caducaue sunt, haud vllis fortunae casibus obnoxia, haud vllis temporum iniuriis exposita, sed magna esse video, sed coelestia, sed aeterna.

Quaenam ista? dicet aliquis. Summam videlicet in diuinis humanisque studiis doctrinam, cum summa eloquentia et probitate coniunctam, eamque tot libris aeditis non solum orbi spectatissimam verum etiam linguis ac disciplinis Ecclesiaeque vtilissimam. Summam deinde et indefatigabilem in tantis operibus Christianae mentis alacritatem, non sibi honores, non census ambientis, imo nec affectae valetudini parcentis, sed perpetuo solius Christi gloriam hominumque salutem et commoda spectantis. Ad haec inuictissimam officiosi animi tolerantiam atque constantiam aduersus etiam ingratissimos, qui veluti Sathanae satellites toti sunt in stimulis colaphisque. Tum admirandam planeque apostolicam in violentis hodie pseudapostolorum cultibus expugnandis, et vera pietate promouenda sedulitatem atque lenitatem. Eximiam postremo ac raram, multisque iam temporibus inauditam, et vix [pene] credibilem in tam excelsis dotibus modestiam, qua quidem velut illustri virtutum tuarum colophone fit vt, quum huius eruditos seculi (quo decem ab hinc seculis non aliud fuit eruditius) omneis omnium bonarum artium tractatione superaris (id quod ipsimet etiam scripto pronunciant), ita tamen caeteris quamuis longe inferioribus tu te ipse aeques ac submittas,

88. collequentem *MS.*: *correximus.*

vt hac modestiae sanctissima virtute, sicut etiam aliis, longo omnes post te relinquas interuallo.

Haec nimirum, haec in causa sunt, mi Desideri optatissime, vt ipse dies noctesque te amem, te cogitem, te desiderem, te somniem. Haec sunt quae te mihi supra quicquid in orbe charum ac iucundum habeo, charissimum iucundissimumque reddiderunt. Haec sunt quae te mihi supra mortales omnes admirabilem fecerunt. Ob haec ipse non grau[ar]er, imo libens sustineam, pro salute tua capitis periculum adire, impius etiam mea quidem sententia futurus, nisi vltro capite meo tui discrimen capitis amouerem. Post tuam nanque ἀποθέωσιν quando alterum habebit Christiana religio ERASMVM? Quando parem Ecclesia doctorem ac propugnatorem? Quando parem tum linguae ac bonae literae, tum theologia instauratorem patronumque? Neque enim nisi decimo post seculo talis Erasmus nascitur. Haec ego quum, mi Erasme, videam, non est mirum si aueam tantum naturae miraculum spectare, non mirum si tanto flagrem tui conspiciendi desiderio, si tua etiam pusilla propius cupiam cognoscere, si velim tuam manum, bibliothecam, calamumque sacrum osculari. Legimus Chrysostomum eo fuisse animo in Paulum vt vehementer optarit vel minima etiam eius Apostoli tum facta, tum dicta literis mandata. Id sane votum non opinor perinde mirandum in Chrysostomo: quum is ex Pauli potissimum epistolis aureum sibi illud pectus aureamque linguam compararit: quum etiam electi illius ducis armamentario sacroque penu instructus, et suam celeberrimam octoginta millium (vt ipsemet praedicat) auditorum Ecclesiam aluerit, muniuerit auxeritque, et contra haereticorum hostiumque machinas inuictus in sua perstiterit atque adhuc perstet dignitate. At cur nobis non optandum sit, vt sanctissimi labores tui tuaque scripta piissima, in quibus nunc pure loqui Latinis coepit et Paulus et Christus omnibus, per vniuersum orbem Christianis legantur, aduertantur et ediscantur! Vnde facile est cuiuis auream illam imbibere philosophiam, coelestem vitam viuere, loquique coelestia. Quin etiam tunc Paulus in Chrysostomi ore pugnans vnam tantummodo tutatus est Ecclesiam, magnam quidem illam illustremque (fateor), sed tamen vnam. Idem nanque dux eodem ferme tempore per diuersos quasi praetores diuersas orbis prouincias obtinebat, ex munitissima felicissimaque arce Bethlemitica tanquam inexhausto promptuario per Hieronymum sat annonae variis locis suppetebat, Aphricam per Augustinum continebat in fide, Gallias regebat per Hilarium, Italiam per Ambrosium, item alias atque alias gentes per alios strenuissimos fidissimosque legatos administrabat, tutasque ab hostibus suo Christo regi asseruabat fideles dictoque audientes. At vero e tuis vnius scriptis, quam late orbis patet Christianus, in sancta doctrina alitur Ecclesia, et a coniuratis pseudoprophetarum plusquam haereticorum phalangibus tuta atque intrepida consistit. In te vno non horum modo quos nominaui bellatorum auxilia ac stratagemata habentur, verum etiam Paulus ipse quodam modo, caeterique apostoli ac euangelistae, iam pene extincti reuixerunt. Tua vnius opera, studio, labore, vigilantia, tuis demum auspiciis pro dignitate restitutum legitur quicquid Spiritus in his locutus est vniuersis. Tu siquidem periculosissimis rei pub. temporibus, quum Dei ciuitas multiplici ac deplorata

pene tyrannide premeretur, pluresque ac sibi mutuo infensissimae factiones, coniunctis tamen copiis insidiisque, in vrbis conspirassent exitium, tu, inquam, vt fortissimus patriaeque amantissimus, a Deo optimo maximo electus es, qui omnium machinas impiorum hominum dirueres, sanctamque plebem libertati redditam in pristinam veramque pietatem vindicares. Neque enim minus fido neque minus perito ac inuicto bellatore opus erat, ad tam inueteratos sacrae militiae tollendos errores, ad tam immanes bestias tyrannosque expugnandos, ad res tam misere perditas restituendas.

Tu igitur, Deo iubente, ac sanctissimas lucubrationes tuas fortunante, legis nostrae populos profundo indormientes iudaismo ad purum reuocasti Christianismum. Tu contagiosos ac furiosos Pharisaeorum et spermologorum coetus miro syncretismo, partim vi, partim dolis, Dei vineam vastantes veluti fucos aprosque, ex ecclesiae hortis piorumque animis deturbasti: purgatumque hodie ab horum fermento studiosum Christi gregem suo Domino docendum alendumque conseruas. Tu, vt alios omittam diuini tui partus ingenii, vt taceam de tam copiosis in tot psalmos enarrationibus, deque Christianissimis praeceptis atque consiliis et Christiano Principi datis, et Theologo, et Concordiae, et Matrimonio, et Viduae, et Cathecumeno, et reliquis item omnibus aut ⟨pro⟩ Christo militantibus, aut belum iam cum spe coronae finientibus: vt veteres praeteream Ecclesiae doctores, tua industria vel a senio squaloreque vindicatos, vel in publicam lucem ab ipso interitu reductos, tum alios doctissimis pulchre scholiis illustratos, alios item Graecos feliciore stilo in Latinam versos linguam: vt nihil de tot dicam voluminibus, quibus et fortiter et fideliter ab impiis rabidisque accusatoribus Christianae doctrinae veritatem asseris ac defendis: vt quatuor non commemorem tui Concionatoris libros iam iam in illustres bibliothecas cum incredibili doctorum omnium desiderio venturos, plane videlicet *Ἐρασμίους*, vt qui viderunt praedicant, hoc est excelsos atque diuinos: vt alia denique sacra non attingam argumenta vel aedenda vel aedita, tuo more, nimirum sancte, copiose ac feliciter tractata: nam de prophanis operibus (Deum vero immortalem, quae studiosorum auxilia, quam egregios celebresque libros, quas Graecae Latinaeque linguae delitias ac diuitias vno verbo constrinxi!) nihil loquor: quanquam minime prophana dici debent, quae ex tuo calamo prodierunt: tu enim communem modo literarum iuuentutisque vtilitatem semper spectans, docte pureque conscripsisti omnia, Erasmumque autorem suum, hoc est pium vereque Christianum pectus, passim aperte testantia (id quod plerique nunc ethnicis longe magis ethnici, imo ab omni religione abhorrentes, non minus inepte quam scelerate vitant): quin tua vel somnians iocansue Stultitia longe sapientior habetur quam multorum suo iudicio maxime sophorum seriae vigiliae: vt de his igitur atque aliis non loquar, quibus tu tamen omnium prouinciarum scholas ac bibliothecas exornasti, locupletasti, adiuuisti, tu idem ipse alterum religionis nostrae instrumentum, hoc est, nostrae huius vitae delitium solatiique campum, antea neglectum, incultum, horridum, spinis vepribusque euulsis purissimum ac nitidissimum reddidisti, clausoque diu prius, ac doctis etiam inaccesso, tam faciles vbique aditus aperiens complanasti, tam solerti ac in-

defessa tot annorum cura locos omnes excutiens pensitansque excoluisti, vt iam omnibus et libeat et liceat in his amenissimis viridariis viuere, suauissimaque flosculorum aura fructibusque recreari.

Atque ita quum magnum vbique apud literatos Christi silentium esset, tu libris tandem tuis ac laboribus nunquam satis pro merito laudatis, bonas postliminio literas ad Christi gloriam reduxisti. Quae quidem quum et alias tibi plurimum debeant, tuis quippe armis et acriter et feliciter contra barbaros protectae adiutaeque, nunc quod ab impia paganorum tyrannide ad gloriosam Dei optimi maximi reuersae ciuitatem suo sint iterum Christo redditae, id ipsum vni praecipue tibi multo magis ac libentius debent et, vt gratae sunt, debebunt semper. Neque iam periti tantum ac in magnis studiis versati tuis parentes monitis sese Christo adglomerant, verum etiam variarum nationum et linguarum idiotae, viri pariter ac mulieres, tuis eiusmodi exciti classicis vbique gentium sonantibus, certatim antiquo regi nomina dant Christo, certatim Ecclesiae suique instaurationem meditantur, certatim cordibus ac linguis suo venienti ac visitanti Iesu canunt הוֹשִׁיעָה נָּא. Salue igitur, sanctissime Dei nostri confessor, doctor et apostole: aut siquid his etiam nominibus sublimius est et augustius. Neque enim dubium est quin Deus ille, qui nascenti primum ecclesiae Paulum donauit ex vtero materno segregatum, deinceps vero Origenem, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum, caeterasque ecclesiae columnas, nunc idem postremis his temporibus collapsam dudum religionem miseratus, te tot linguis doctrinisque instructum, tanta insignem pietate ac prudentia, tanto Dei zelo feruentem, tot aliis Sancti Spiritus donis ornatum mundo dederit, literarum, theologiae Christianismique reductorem.

Vere igitur noster, salue, ter maxime Erasme:
Salue hominum diuumque decus, summique parentis
Consilio in terras missus, qui corda animosque
Natorum inter se pariter patrumque vocatos
Ad Christum vnanimes deducas: puraque surgat
Relligio: et tandem redeat gens aurea mundo.
Vtque datis iuuenum studiis recto ordine magna
Adiumenta feras: claris dum foetibus almi
Musea ingenii illustras, longeque fugatam
Barbariem ad coruos adigis. Dum pene prophanas
Ante deas Phoebi, superis plaudentibus, omnes
Plus dulceis solito reuocas ad sacra, docesque
Regna per Europae resonare amplissima Christum;
Dumque situ a turpi recipis tu maximus autor
Autores magnorum operum, primoque nitori
Reddis, perque vias lectorem ducis apertas;
Quo duce non alius quisquam felicior vnquam
Aut fuit, aut fuerit, quantumuis secula currant,
In Latium melius scriptores ducere Graios.
Tam facile hi mores sub te formamque habitumque

---

250. pariter] The original version had, unmetrically, *mutuo*. The same metrical error had to be corrected in l. 365; see Cog. E. i. 308.

257. deas] The Muses.

Ingeniumque nouum afflant; vt vestigia nulla
Nulla peregrinae referant incommoda coeli terrae,
Sed propriam hos iures Romam genuisse parentem.
Nec vanum, alta quod seruatum mente manebat
Nunc misit Pater omnipotens. En aspice iam nunc
Quam multi posita vitiorum labe benignum
Ad Christum celeres properent. En aspice surgat
Quantus vbique chorus doctorum, copia quanta
Linguarum, quantum studeant iuuenesque senesque
Romanas Graiasque simul pulchro ore sorores
Ad sacram Solymam sacrasque adiungere leges.
Quin etiam pueris, ex te dum condita versant,
Et dulceis tenero degustant ore libellos,
Incipit excelsum recti, pietatis, honesti,
Musarumque decus puras incendere mentes.
Nunc etiam in cunis pendent ex vbere laeti;
Et venient post nos alii felicibus annis,
Quos tua lecta trahet pietas ad regia Christi
Vexilla, et Diuo qui te cognomine dicent.
Felices animae, O felicia currite secla.
Interea docti proceres tua castra secuti
Relligionis opes augent: caesisque fugatisque
Hostibus exultant: meritos tibi laudis honores
Ingeminant: gratique suum patremque ducemque
Vocibus ad superos letis comitantur euntem.
Nec modo, vt affines, afflatum coelitus altum
Hi numen sensere tuum: verum omnibus oris
Qui summi rerum domini moderantur habenas
Suspiciunt. Tibi certatim Comitesque Ducesque
Promeritam reddunt laudem, primique monarchae
Laetis aspirant animis. Tibi sceptra, coronam,
Imperiumque tenent Reges, et Regibus ipsis
Maiestate pares, at sacro munere celsi
Pontifices melius. Tibi regia munera cuncti
Accumulant, gratique pium testantur amorem,
Teque suo columen populorum numine seruant.
Ast contra, Herculeis vt fata Heroibus indunt,
Te Stygiae horrescunt pestes, te saeua luporum
Centum armata modis, maculis interlita centum,
Agmina diffugiunt, latebrisque abduntur opacis,
Herculeum in specubus robur stridentia clausis,
Et frustra rabidas rumpentia murmure fauces,
Nec calami sufferre valent vim et vulnera magni:
Spicula sed crassi ventres penetrantia ad imum
Et certa vibrata manu doluere retecti,
Sacrilegisque iacent cum cultibus; vndique notas
Dum victrix abigit fraudes, priscoque vigore

312. Sacrilegisque &c.] In the first version Odonus had written 'Confossique iacent insigni strage per agros'; in Cog. E. i. 308 he suggests altering *per agros* to *per vrbes*. At some later date he seems to have cancelled his original line, substituting the present text.

Consurgit late Pietas rediuiua per orbem.
Praeterea, quod mens excelsa et regia prorsus
Praestat, saeuorum non te furor impius vnquam
Impietasue furens latronum exterruit, ista
Vt bene facta malis mutares victus; at idem
Perpetuo perstas animo, pergisque malorum
Inuidiam superare bonis. Odia aspera amoris
Obruis igne pius. Tum patria iura fidemque
Consiliis scriptisque sacris, prece feruidus vsque,
Tutaris; sanctisque lupos ab ouilibus arces.
Hinc tutae ad Christi conuersae pascua tandem
Laeta sui pastoris oues stant vbere leto,
Et vocem auscultant hilares tuo in ore loquentis.
Iamque omnes currunt gentes, tua scriptaque lustrant,
Omnes te linguae, ⟨te⟩ vna omnis sexus et aetas,
Discitque euoluitque medullisque imbibit imis.
Ac tibi non pro se quernam modo quisque, sed omnes
En illam grati celebrem simul ore canentes
Gramineam tendunt populi deferre coronam;
Iamque auro gemmisque nouis tibi dulcia colla
Circundant: auro decorant tibi leta triumphum,
Purpureosque cohors flores, et candida plenis
Lilia diffundunt calathis, violasque rosasque,
Narcissum et casiam, et fert quicquid Tmolus odorum,
Et cum thuricremis Panchaia terra Sabaeis.
Tum laetas tollunt voces, tum carmina dicunt,
Teque patrem patriae iterumque iterumque salutant.
Maxime, tu nobis, tu scribens restituis rem.
Parua loquor. Celsis adsunt e sedibus ingens
Angelici demissa chori manus, inque superna
Luce refulgentes Genii: simul aethera dulci
Demulcent late cantu insuetisque camoenis,
Atque tibi en radiis claram solaribus alte
Apponunt humeris trabeam. Tum tempora circum
Lucida condecorant stellis mira arte coruscis.
Intenti spectant omnes, votisque replentur.
Ast illi te sublimem facto agmine ad astra
Attollunt alacres. Salue, fortissime Christi
Bellator, victorque potens. Salue, inclyte Doctor,
Confessorque Dei, magnum decus addite terris.
Sis felix, Dominique velis data castra fouere
Longius, et terras praesenti sydere laetas.
Sed mihi quando dabunt superi tua pectora vt ipse
Pectoribus stringam propriis, atque ora manusque
Ore premam manibusque meis, oculosque serenos
Aspiciam? Quando dabitur, quando, optime Erasme,
Vt te complectar totum, piaque oscula figam,
Et dulceis capiam mellito ex ore loquelas?
Non me laetitia vincet nec sedulus ille
Qui palmae indutum foliis frondente sub vmbra
Antiquum vidit senior, quum claustra recludens

Amplexusque datosque sonos Paulumque recepit;
Hesperiis neque qui ad Dauidica regna relictis
Mirandum videre senem, Stridonis alumnum,
Cor quintum, totidem linguas, totidem ora mouentem;
Nec fuerit pater Athletes me laetior ille,
Bis denis quum post natum letissimus annis
Aspexit (dictu mirum, sed iusserat autor
Omnipotens) Nili imperio sceptrisque potitum.
Non ego cedam vlli. Tantum sed, rector Olympi,
Da quaeso, da mi genitor, mi maxime, Erasmum
Vt manibus teneam propius, piaque oscula figam.
Tum me, si tibi sic placitum, dimitte quieti,
Quando quidem est maius nil quod visatur Erasmo
In terris. Hunc ergo tuis, Rex optime Christe,
Hunc petimus serues; iterumque, iterumque precamur.
Criste, tui nostrique simul sis fautor Erasmi.
Criste, tuum nostrumque decus rege semper Erasmum.
Criste, Deus vitae, viuat tibi sanctus Erasmus.
Criste Deus, te ipsum aeternum da munus Erasmo.
Criste, tuum serua nostrumque in secula ERASMVM.

Summae mihi quidem, imo ambobus (nam et meo et Philaeni mei nomine iamdudum scribi haec ne dubita), summae, inquam, esset voluptati ista prosequi longius. Verum cum Deo colloquium miscere, tum aliquid tuarum laudum canere, altioris esse spiritus existimo, eiusque qui aduentanti Deo pulsantique non se organum praebeat refractarium. Sed quam nobis inter legendum, quaeso te, Erasme modestissime, coecutientiam obiicis? Cuiusnam *αἰπόλου* subinde occinis amori nostro hemistichium, vt cui *τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται*? Quasi vero primi nos aut soli de te ita sentiamus: aut quasi coecus is dicendus sit cui solis lumen vniuersa simul superare lumina videatur, idque esse dicat humanis et visibus et verbis maius. Imo

---

365. amplexusque datosque] *amplexus mutuosque*, the first version; see Cog. E. i. 308; cf. l. 250.

Paulumque] Paul the Eremite. For the meeting between Paul and St. Antony see Jerome, *Vita Pauli Eremitae* (pp. 81–2 in the Paris Jerome of 1546). Here, and in what follows about the 'Stridonis alumnus' we may suppose Odonus to have been writing with Erasmus' Jerome open in front of him.

367. Stridonis alumnum] St. Jerome, born at Stridon in Dalmatia. See Erasmus' *Vita Hieronymi*; where the pilgrims who visited the Holy Land are said to have been more eager to see St. Jerome than to see the sacred places (*Hier. Opp.* vol. i, ff. iij B.).

369. pater Athletes] Jacob; the appellation *Athletes* being drawn from Gen. 32. 24–8, Hosea 12. 3–4.

374. mi maxime] *charissime*, the first version (Cog. E. i. 308).

385–6. Philaeni . . . nomine] All Odonus' letters seem to be either in fact or by implication letters for himself and Philaenus; though in ll. 835–7 he says that he cannot answer for it that Philaenus will not write independently. The only letter of Philaenus which we have written in his own name is, in fact, the first of the three letters printed in Cog. E. i. 312—which is in the nature of a postscript to the letter of Odonus immediately preceding it. A letter of Erasmus, not extant (c. July 1535), was addressed 'Syncerissimis viris Ioan. Angelo Odono et Phileno' (Cog. E. i. 310). Gryphius' two letters are similarly addressed to both friends.

392. *τὰ μὴ . . . . πέφανται*] Theocr. 6. 19.

ille quidem est coecissimus, qui id non videt quod nemo non videt. Talia enim de te, atque maiora, doctorum bonorumque omnium vndique audiuntur testimonia.

Verum agnoscimus etiam hic religionem tuam viuam: qui te nihil nisi hominem humilem et peccatorem confitens, bona tua omnia Christo, vnde venerunt, fers accepta. Ista nos agnoscimus, atque etiam laudamus. Sed interea nimium Deo nos ingrati fuerimus, nisi eximia Spiritus dona per te nobis hoc tempore collata amemus et praedicemus: eique gratias agamus, qui talem virum suae nunc donauerit ecclesiae. Hoc siquidem pacto fit vt et ipse videns gratiam tibi datam minime vacuam fuisse, at indies vberiorem vbique fructum aedere, pergas in prophetico munere alacrius; et nos magna Dei beneficia agnoscentes, maiora etiam per te promereamur; id quod nobis Christus optimus maximus tuam prosperans viuidam atque industriam senectutem concedere dignetur. At si qui te nunc religiose minus tuaque scripta obseruant, ii se certo sciant ex eorum esse numero qui prophetarum sepulchra operosa mole extruentes iactabant se patrum suorum socios in prophetarum sanguine futuros non fuisse, si eorum temporibus vixissent.

Miseri prorsus quicunque sunt eiusmodi, ac vere ter et amplius infelices. Qui quidem, vt veteres olim Pharisaei Esaiam, Hieremiam, Zachariam caeterosque mortuos prophetas admirabantur, maximique faciebant, viuos vero prophetas et apostolos omni conuiciorum, calumniarum et iniuriarum genere affectos, omni suppliciorum malorumque vi vexatos eiiciebant, persequebantur ac trucidabant: ita noui nunc isti Hieronymum, Origenem, Chrysostomum, Cyprianum, Augustinum, Bernardum, aliosque defunctos, pios appellant, orthodoxos, sanctos, confessores, doctores, martyres, ecclesiae stellas, fulcra, decora, lumina, quid non? Horum si quis descenderet in terras, quam omnes, vt videri volunt, currerent, festinarent et aduolarent, vt cernere possent, vt audire, vt contingere, vt adorare, ac tantum non vt Deo parere ac sacra facere; nunc vero quum eosdem ferme viuos, et magno rursus Dei munere spirantes, loquentes et scribentes vident, nihil mouentur; imo vt veros agant pharisaeos, etiam calumniantur aliqui, et persequuntur, nedum fastidiunt negliguntque. Vae igitur ter et quater miseris istis ab illo certissimo fulmineoque Vae Dominico, si pergant patrum suorum mensuram adimplere. Dominus det suis ab horum exemplo quam longissime abesse; vt omnis aetas suos quaeque prophetas missosque agnoscens operarios resipiscat, atque ad clementissimum Dominum reuertatur, *τὸν τῶν οἰκτιρμῶν πατέρα*, vt significanter ait Apostolus, *καὶ θεὸν πάσης παρακλήσεως*.

Iam tempus est, suauissime Erasme, ne nostro diutius animo obsequentes 'in publica' plus aequo 'peccemus' 'commoda', sed te sanctissimis tuis orbique vtilissimis studiis reddamus. Quod vero te in iis assidue versantem hac epistola interpellare ausi simus; id fecit partim summus, vti dictum est, sibique conscius noster in te amor, partim tua summa in quemuis humanitas, charitasque in omnes gentes Christiana: in cuius latissimis campis non postremas

---

435–6. *τὸν τῶν . . . παρακλήσεως*] 2 Cor. 1. 3.

438. in publica . . . commoda] Cf. Hor. 2 *Ep.* 1. 3.

apud te habere Italos sat scimus. Tametsi aiunt nescio qui et Italos tibi teque vicissim Italis parum esse aequum. Quorum vtroque haud scimus an quicquam dici possit et impudentius et vanius. Et inepti simus profecto ista si pluribus nunc refellere velimus; quae quidem omnes, modo vllum habeant audiendi aut videndi sensum, et sine fronte dicta norunt et cum reipsa ipsisque sensibus pugnantia.

Sed tamen quorundam paganitas, dicam, an insania, an vtrumque potius, qui vanissimi rumoris ansam libenter vel praebent vel arripiunt, cogit vt non taceatur omnino. Meretur enim procax nimium petulantia furorque impius retundi. Alioqui neque nostra Italorum admodum neque tua quidquam referre arbitramur, quid leuissimi aliquot tenebriones obganniant: quum et nostra nos ab omni crimine vindicet conscientia, resque ipsa non obscure contra clamitans, tua vero excellens virtus atque humanitas altius atque illustriori extet solio quam vt huiusmodi canum latratibus concuti aut nebulonum fumis ac loliginum atramentis possit obscurari. Nam in illos quid attinet cogitare grauius, qui iam nunc execrati despectique misere satis vbique poenarum dant, dum ipsimet se deo atque optimis quibusque hominibus indies magis reddunt odiosos? Paucis itaque, ac leui (vt aiunt) brachio, manifeste quidem impudens, sed nimis quam contumeliosum, os obstruatur sycophantis: qui *ὥσπερ ἀεὶ κάνθαρος ἐν βορβόρῳ*, ita semper in mendaciis et calumniis gaudent volutari immergique. Quid vero mussant impurissimi? tibi scilicet Italos et te contra infensum esse Italis. At quo tandem id colligunt argumento? Conantur quidem illi misere vanum mentis somnium tueri, si modo vllam habent mentem. Prorsus tamen quod inueniant, nihil habent. At nos profecto id dicemus, quod verissimum esse scimus: imo quod verissimum esse patet omnibus, quodque libri, Erasme, tui loquuntur omnes: te nempe, vti veros decet Christianos, nedum theologos, pari omnes ac paterno amore Christianorum prouincias populosque complecti; idque vnum sanctis laboribus vigiliisque tuis semper agere vt vera studia veramque Christianis omnibus restituas pietatem; id quod palam demonstrant, vt modo diximus, tua scripta: in quibus rem communem omnium doctissime atque piissime ex aequo agis et adiuuas.

Quod vero Italiam vel peculiariter magni facias, praeter tot epistolarum ac librorum tuorum locupletissima testimonia, illud abunde satis indicii est, quod eam tam longo terrarum spatio seiunctus non semel tamen dignatus sis inuisere, variasque eius vrbes tua dierum aliquot ac mensium praesentia illustrare; in quibus optimarum artium studia aut excitasti aut excitata fouisti. Atque vtinam in Aprutio (vt nunc vocant) Pinnaque mea vel praeteriens tua modo vestigia reliquisses. Satis equidem illam hoc nomine et fortunatam arbitrarer et nobilitatam. At Italis quibusdam (religiosi aiunt *Ἀρεο-*

464. *ὅσπερ MS.: correximus.* 487–8. *Ἀρηοπαγίται MS.: correximus.*

444. nescio qui] Presumably Peter Cursius, whose *Defensio pro Italia ad Erasmum Roterodamum* was printed in the spring of this year; see Ep. 3007. 54n.

463. leui ... brachio] See *Adag.* 327.

482. non semel] Erasmus in fact visited Italy only once, July 1506–July 1509. For projected visits, see Ep. 3032.

485. Pinnaque] See l. 598n.

παγῖται) non nunquam aurem vellicat. Quasi vero id non amantissimi probissimique patris sit officium, officii filios admonere, aut quasi non eadem ferula Germaniae tuae, Galliae, ac Britanniae, quae tibi cum primis charae sunt, errores corrigas tollasque. Quod si is male velle dicendus est qui vitia pro virili nititur euellere, nemo profecto Corinthiis, Galathis, et Cretensibus hostis atrocior Paulo apostolo; nemo Hierosolymis caeterisque Iudeae vrbibus infensior prophetis omnibus ac ipso Christo: a quibus illae palam sua crimina audierunt; arteque omni reuocatae sunt ad poenitentiam. At certe si critici illi mandragorae somnium, quod Petrarcha et Ariostus, poeta apud nostros vterque clarissimus, non Italis aliquot, sed Italiae ipsi tribuunt, aduertant, non voce tantum aut vellicatione, sed fuste potius, ac magno Christi flagello, opus fuisse iudicabunt.

Caeterum si tibi pro meritis agere visum esset inclementius, ansamue quaesisses eiusmodi, quantum dicendi campum habere potuisses satis ostendit Nicolaus Machiauellus, Florentinae reipublicae a secretis, rerumque politicarum callentissimus; qui nuper Clementis tempore libris, iisque Etrusca lingua, aeditis (dignis vero qui ob eximiam argumenti vtilitatem in omnium populorum linguas transfundantur), testatus est Italiam nostram cum alia permulta et maxima, tum ipsam quoque religionem penitus omnem exuisse; idque ob Romanae sedis sanctitatem. Quam etiam vrbem palam Petrarcha Italus et Babiloniam et Bacchi Venerisque mancipium et haereseωn templum et errorum scholam et viuorum tartarum, denique malorum scelerumque omnium quibus orbis hodie obruitur clamat officinam. Et hactenus ipsius Petrarchae verba retulimus. Piget vero ac pudet referre caetera his foediora multo: quae canonicus ille piissimus ob Christi sponse zelum ardentibus prolixe suspiriis nec vno in loco ingemiscit. Atque ista vates egregius canebat annum ab hinc supra ducentesimum. Quid vero dicturus, si praesens videret vna cum annis crescentibus creuisse nihilo segnius et vitia, quae ille tum in praecipiti aiebat constitisse, ideoque coelestem vltionem iam vt festinaret implorabat? Porro huius prophetae nostri vernaculum quidem sed politissimum carmen nostrorum nulli non est in ore. Nec minus testimonium id (proh dolor) verum esse patet quam celebre illud Paulini Epimenidis oraculum in Cretenses suos. Quamuis ipse Petrarcha longe maior Ethnico Epimenide. Siquidem vatis huius religiosi vereque Christiani etiamnum memoria honestissima ac pene sancta est in aliis quoque regionibus, non modo apud suam Italiam, in qua nunc floret, vt quam maxime. Atque ita quidem trium illustrium Italorum testimonia, sed quae sane multorum instar esse queant: vt interim de Dante atque Boccacio, Italis et ipsis, nihil recitemus: quorum alter theologico poemate, oppido

510. Petrarcha] Odonus is translating freely the opening lines of Sonnet 107, which he calls 'vernaculum quidem sed politissimum carmen'; but *Bacchi Venerisque mancipium* seems to be imported from Sonnet 106.

514. canonicus] Petrarch received successively from Clement VI canonries at Modena, Parma (1346), Padua (1349).

523. illud Paulini Epimenidis] Titus 1. 12. The verse quoted by St. Paul is attributed (the Attic dialect notwithstanding) to the sixth-century poet Epimenides by Clement of Alexandria (*Strom.* 1. 14. 59) and by St. Jerome; cf. Suidas and Hesychius s.v. κρητίζειν.

quam docto sublimique, passim in eandem Hierusalem ac Pharisaeos et principes, prophetico plane spiritu tubam intendit ac detonat; alter fabulis quidem, sed satyricis ac Lucianicis, idem templum cum diuis et mystagogis suis subinde carpit, incessit, arripit, non nunquam plenis tibiis inuehitur ac debacchatur. Horum autem omnium libros cultiore nostro scriptos idiomate, paucae sunt in Italia domus, ne dum μουσεῖα, quae non habeant; quum tamen in multis potentum ac nobilium palatiis, imo grauium etiam doctorum bibliothecis, non temere vllum reperias opusculum bibliorum. Iam facile scilicet ardens vicinae vrbis sanctitas ignem in Italia passim accendit euangelicum.

Sed vt ad te redeamus, sanctae lucubrationes tuae, nusquam non christianae memores lenitatis, saleque semper gratioso, vt iubet apostolus, condite, quid aliud, quaeso, habent quam vigilantis, docti, cordati, pii, mitisque pastoris admonitionem, eiusque cui nihil prius sit, nihil antiquius, nihil charius Domini gloria gregisque dominici pace ac salute?—postremo eius qui maxime cupiat contendatque bonas literas, linguas et disciplinas, hactenus ambitioni plusquam paganicae seruientes, ad Christum reducere, Christianaeque religioni, antiquae nimirum reginae, suas aulicas vindicare? Hic enim tibi perpetuus atque vnicus scopus est in tuis libris, vt facile patet omnibus. An vero Christi ecclesiaeque hostes postulabant vt vir in linguis ac disciplinis tantus, deinde tam pius atque Christianus, adhaec etiam sacerdos, denique summus multorum seculorum theologus, et nostrae tacitus aetatis vitia praeterires et praeter sanctorum exempla patrum, contraque conscientiae ac numinis vrgentis imperium, nihil moneres quod monuisse maxime laborantis ecclesiae prouinciaeque referebat?—eius praesertim quae se literarum ac religionis arcem tenere quum iactaret, exemplo impio nec minus periculoso caeteris praeibat?

Vae mihi nisi euangelizauero, clamabat Paulus. Sentiebat enim acceptum Euangelii praedicandi munus; et iampridem legerat interminatam sacerdoti mortem qui surdis tintinnabulis linguisque versaretur in ecclesia, quae sacratissimum est sanctuarium viuumque viuentis Dei templum. Simulque meminerat apostolus, quam graues seruo illi poenae deberentur qui Domini talentum occuluisset. Tibi autem quum tam splendida Dei Spiritus benignissimus esset munera largitus ad aedificationem Ecclesiae, an debebas decidentis ruinam spectare ociosus? ac non potius omni, vt strenue fecisti, pede contra niti? ac aedificii praesides, vel vt verius dicam destructores, cum cessantibus operariis, literatis nimirum male feriatis, arguere, obsecrare, increpare, omnesque quantum posses ad mentem sobriam reducere, officiique admonere? Et tamen hanc ipsam admonitionem mira tu semper, candidissime Erasme, ac non nunquam immodica, vt non nullis videtur, moderatione tractas, paternoque plus quam dici queat animo; quum mores nostri plus quam Hieronymi Bernardique libertatem, plus quam Eliae Mosisque ignes et gladios immittentium postulent seueritatem.

---

568. dextructores *MS.*: *correximus.*

560. clamabat Paulus] 1 Cor. 9. 16.

570. male feriatis] See Epp. 2211. 66, 2721. 7; Addenda, vol. x, p. xxiii.

Desinant ergo Achitopheles Semeique impiissimi placidissimum Dauidem virum appellare sanguinarium; quo in diuinis praeliis conficiendis et canendis non alius vnquam diuino cordi amabilior. Desinant odiosi tuam in Dominico grege pascendo ac seruando curam odisse piam fidelemque. Desinant foedissimi tuam in emendandis studiis vitiisque candidam accusare diligentiam; suaque potius scelera agnoscentes summam tuam admirentur temperantiam, qui nostrae mysteria paganitatis ac nequitiae, mundo iam satis cognita, tantum abest vt traduxeris vt multos Italiae proceres libris nominatim dicatis (qui tui styli genius est) immortalitati consecraris. Quid ergo habent reliqui in quo nobis populi praestent, partesque ferant potiores apud te? Nobis quidem quod videatur nihil. Imo vincentur potius, quum toties ipse pleno ore Italorum literas, ingenia, disciplinas, gymnasia, coelum denique ipsum, longe supra meritum non minus amanter candideque quam eleganter praedices et commendes.

Iam vero quantum vicissim Itali, quibus bonae literae pietasque cordi est, te diligant et obseruent et colant quid attinet commemorare, quum id aeque ferme ac illud sit notissimum, nec vllis egeat argumentis? Nam vt a minimis, hoc est me ipso, incipiam, an non ego Italus sum, in regione videlicet Italiae quarta natus? An non Bononiensis meus hic Philaenus Italus est? Nonne propinqui sodalesque nostri Itali sunt, qui te omnes, vt quem maxime, diligimus et veneramur? Nonne Itali sunt sacri concionatores nostri? Quorum nos celeberrimos quosque audiuimus Bononiae, in magna vrbis frequentia, cum honorificentissimis te semper titulis citantes, quoties occurrebat (occurrebat autem per Quadragesimam quotidie). Nec dubitamus quin hunc morem in aliis etiam claris Italiae vrbibus quo vocantur obtineant. Nonne etiam Italus est doctissimus simul et piissimus vir Aemilius Brixianus? At hic Italicis auribus tuum celebre illud dedit Christiani militis Enchiridium? Nonne Itali erant sacerdotes illi ac monachi, viri ac mulieres, pueri ac senes, caeterique a quibus opus illud assidue legi, a seque vt imprimendum curaret, flagitari, ipse tibi, sicut meminimus, scripsit Aemilius? An non Itali nunc sunt qui illud idem opus iam aeditum summo sibi emunt studio

578. Achitopheles Semeique] As far as the words *virum . . . sanguinarium* are concerned, Ahitophel is not in question, see 2 Sam. 16. 7.

591. coelum] In Ep. 632. 1–3 (which Odonus cannot have seen) Erasmus praises the climate of Padua, but refuses praise to that of Bologna, Florence, and Rome. In Ep. 1224. 8–10 he says that the climate of Louvain is as good as that of Italy. In Ep. 3043 he tells Damian that Italy is warm compared with Lapland. In general, his references to the climate of Italy, and the learning and character of the Italians, are disparaging and do not bear out what Odonus says; see Epp. 457. 58–9, 540. 28–34.

598. regione . . . quarta] Penne in the Abruzzi, Odonus' native town (see l. 485), the ancient Pinna, capital city of the Vestini, lay in the fourth of the eleven 'regions' into which Augustus divided Italy.

599. Bononiensis] Gryphius mistakenly addresses both Odonus and Philaenus as *Bononienses*; no doubt, owing to the connexion of both with the university of Bologna.

607. Aemilius] See Ep. 2154 introd. B.E^{r2} gives 1531 as the date of the first edition of Aemilius' translation of the *Enchiridion*. Odonus mentions Aemilius' translation in his letter to Bucer; it is the more remarkable that, in Cog. E. i. 310, 311, 312, both he and Philaenus should confuse Aemilius and Vincentius Magius.

ac diligenter euoluunt releguntque; maximoque redimerent reliquos tuos eiusmodi libros eadem versos elegantia? Ad quod non dubitamus, quin aliquot docti piique se accingant: nam Aemilium, qui id commodissime potuisset, fata nobis (vt audimus) inuiderunt. Ipse quidem, tametsi parum aut nihil in latina maternaque lingua valeo, tuae tamen *Μεμψιγάμου* colloquium, et Lauretanae Virginis Liturgiam, sororibus neptibusque meis verti misique. At vix credas quantus primo vicinarum concursus ad germanae praelegentis *ἀκρόασιν*. Mox libellus peruenit ad viros. Breui totum oppidum peruasit, a pueris parentum iussu magno studio transcriptus. Id nobis retulerunt *αὐτοπται*. Idem, sed longe felicius, praestitit in aliis aliquot Philaenus: quae passim Bononiae familiarium manibus teruntur. Iam nostris in scholis praelegi felicissimos illos tuos Copiae commentarios solenne propemodum est. Praeceptores certe bonae spei adolescentibus tum illos, tum tua etiam Prouerbia, Colloquia, Apophthegmata, Parabolas, Epistolarum regulas ac caetera eiusmodi maxime semper commendant.

Vbi nunc obstreperi scarabei qui negant ab Italis legi aut diligi aut magni fieri Erasmum? Dabimus adhuc indicia certiora et illustria magis. Sadoletus, Bembus, Egnatius, Caelius, Manardus, Alciatus, clarissima Italiae nostrae decora, quam et reuerenter et amanter de pia eruditione tua, deque erudita pietate, tum sentiunt tum scribunt! Atque hos quidem recensuimus, non quod nulli praeterea aeque docti probique tibi sint ex Italis amici (quorum de numero est illustrissimus Comes, idemque humani ac diuini iuris consultissimus, Baptista Fliscus, cuius alioqui spectatam satis nos familiariter quoque nouimus eloquentiam ac pietatem summam; tum alter etiam Ianuensis Ludouicus Spinula, et ipse praeclaris fortunae animique dotibus excellens, qui te amat si quis alius effusissime), sed quod hi praecipue probitate ac doctrina apud nostros celebres sint magis; vt interim de Nicolao Leoniceno, Aldo Manutio, Ambrosio Leone, Vicentio Magio, Paulo Bombasio, caeterisque sileatur tam viuis quam defunctis, deque iis qui nobis per aetatem nondum cogniti satis aut lecti sunt, quos tamen plurimos esse confidimus tui nominis amantissimos, et Mediolani et Neapoli, et Venetiis et Romae, et in tota demum quam longe lateque patet Italia. Nam duorum pontificum, Decimi nempe Septimique, testatissimam in te charitatem (Tertium enim hunc Paulum, vt scimus esse literarum pietatis pacisque cum primis studiosum, ita dubium non est quin tibi maxime bene cupiat, qui hisce prouehendis ac stabiliendis totum

618–19. *Μεμψιγάμου* . . . Liturgiam] Nothing is known of these two versions. The *Μεμψίγαμος*, first published in 1523, was translated into German in 1524, into Spanish in 1528; and English, French, and Dutch versions appeared during the sixteenth century. The *Colloquia* was printed in Florence at the Juntine Press in 1531; and at Venice by V. di Ravani in 1536. A translation by Pietro Lauro appeared in 1545 (Venice, V. Vaugris). For the *Liturgia* see Ep. 1391 introd. An edition was printed at Venice in 1526.

625. Copiae] In his letter to Bucer, Odonus mentions similarly the vogue in the Italian schools of Erasmus' educational works.

638. Fliscus] Not known to us.

640. Spinula] See Ep. 3008 introd.

644. Leone] See Ep. 854 introd.

Magio] See Ep. 2154. 10n.

649. Decimi nempe Septimique] Leo X and Clement VII.

vitae tempus impenderis: imo iam cognouimus a multis certae fidei doctrinaeque viris Roma venientibus, eum tibi et purpuram suae proximam, censumque dignitati parem, semel atque iterum obtulisse): horum igitur Pontificum Italorum eximiam in te beneuolentiam, et maximorum Cardinalium propensissimum fauorem quid attinet referre, quum et ipsa omnibus sint sole clariora?

Iam dudum videmus in eorum prouerbium incidisse nos, qui *τὸν λύχνον ἅπτονται ἐν μεσημβρίᾳ*. Sed ita non nullorum improbitas postulabat. Caeterum quis ausit hoc honestissimo doctissimorum hominum atque amplissimorum testimonio amplius aliud petere aut locupletius aut honorificentius? Nemo profecto nisi insignite impudens et scelestus! At secus, aiunt, aliis videtur. Quotnam quiue sunt isti alii? Italus ille et ille aliter censet de Erasmo. Cicuta et aconitum in horto pullularunt: venenatae sunt igitur herbae ac arbores vniuersae. Adest Catilina et Cetegus in senatu: nulli ergo senatores, neque M. Cato, neque C. Caesar, neque M. Cicero consul neque reliqui bene sentiunt de republica? Iudas Christum prodidit; itane alii Christum ex animo non diligunt Apostoli? At certe duo isti *τρισκατάρατοι* suo se iudicio, veluti sorices, prodiderunt ac perdiderunt. Alterius enim aconitum radicitus euulsum exaruit, foedissimeque computruit. Alterius cicuta an viuat nescimus; illam certe in Italicis hortis nec vidimus nec audiuimus. Et Catilina quidem rerum pub. ac principum conturbator et proditor, miserique famuli factus famulicida miserior, tota deinde profugus Italia, mendicus tandem ac blasphemans interiit. Vtinam vel nunc in patria diues bene dicat. Alter vero, qui se Italum iactat (an vere, Deus scit), quo nunc delitescat angulo, misericors, imo miserrimus, studiosae iuuentutis consultor, quibusue seruetur, nisi resipiscat, furiis ignoramus. Bonorum certe doctorumque risum atque odium, sat scimus, vbicunque apparuerit, plus quam volet, auferet. Atque hi demum sunt nothi illi, nam plane quosdam *ἀλλοφύλους* esse nouimus. Hi sunt pagani Cyclopes, qui partim eloquentissimam sanctitatem tuam, partim sanctissimam eloquentiam, exosam inuisamque habent. Quibus merito accidit vt virtutibus gloriaque tua rumpantur et contabescant. Hi sunt qui, quum nihil sint nisi conuicium et mendacium, impietas et inscitia, denique *ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης*, imo religionis ac literarum Christianaeque pacis pestes, audent se tamen candidos, doctos, piosque appellare atque etiam, si superis placet, Christianos, ac studiorum fideique defensores.

O coelum, O terra, quid non audet impudentia? Fatebimur hic tibi vtriusque affectum verissime. Si te Erasme isti atque eiusmodi non tantopere odissent, nos te non tam diligeremus impense. Nisi tu istis maxime displiceres, nobis non tam vehementer cordi esses. Istis enim procul dubio, id quod te scire credimus, et res ipsa indicat, multo plus quam tua eloquentia, religio putet Christiana: multo plus quam tu displicet habeturque odio ipse Christus. Sed bene (gratia Christo) consultum est posteritati; quae fatuas impiasque naenias

---

654. purpuram] See Ep. 3007. 5n. What Odonus here says about the cardinalate is conceivably a later insertion.

659. prouerbium] Diogenianus vi. 27; cf. *Adag.* 1406.

670. duo] ? Albertus Pius (the Catilina of l. 674) and Scaliger.

688. *ἐτώσιον . . . ἀρούρης*] Hom. *Il.* 18. 104.

istorum ignorabit, ac ne natos quidem vnquam nisi ex tuis disce[n]t scriptis. Quumque vnum illud misere affectarint isti, gloriae vel sceleratae sitibundi, vt aliquo pacto etiam incensis templis innotescerent, id non secus illis accidet ac Basilidibus, Ebionibus, et Marcionibus, fanaticisque aliis: quorum ad nos ne infausta quidem nomina peruenissent, nisi in sanctis aliquando orthodoxorum libris legerentur. Nam tibi, quaeso, aut religioni quid obfuit istorum malitia ac peruersitas? Nihilo plus quidem quam Cerinthi, Pelagii, Manichei, aliorumque impia temeritas nocuit Ecclesiae; ob quorum praecipue vesanam petulantiam effectum est vt et illustriorem nunc ab euangelista nostri diuinitatem Christi habeamus, et caetera pietatis dogmata per orthodoxos confirmata magis, et eorum denique qui monstrosas has belluas confecerunt celebrem memoriam semper et sacrosanctam. Atque hoc etiam nomine et tibi et ecclesiae gratulamur potius, Erasme noster; ecclesiae quod Deus pro solita mirabilique sua sapientia ad auream doctrinam tuam magis illustrandam abusus sit ignito istorum aliquot furore; tibi quod tuo Deus idem tritico nauigioque tot iactationibus ventisque purgato ac probato coeleste suum horreum, atque aeternae felicitatis portum, destinarit.

Et hac quidem ratione tristes aliquando nos ac imo, Deus scit, suspirantes pectore consolamur, Erasme, quum tuos circumspicimus oblatratores: primum quod ista Deus ad Ecclesiae suae commodum, vt dictum est, moderetur; deinde quod ipse plurimos, eosque, vt multa vno dicamus verbo, sapientissimos iam nunc habes amatores (nam de posteritate, synceriore quidem illa semper, optimeque ἔξω τοῦ φθόνου παθῶν videlicet iudicante, quin tua tota sit futura, ac toto pectore, ambabusque te manibus, amplexura, tum religiose in primis anteque primos Erasmi nomen seruatura, minime dubitandum est); postremo quum malorum hic persecutiones ob iustitiam communes habeas cum probatissimis quibusque viris, prophetisque et Apostolis, ac ipso Christo, neque hoc dubium sit iuxta Christi oraculum, Erasme τρισμακάριε, quin eadem, in qua nunc illi regnant, etiam te maneat gloria sempiterna. Et quoniam christiana cogitatio est, vt tu ipse et beatus admonet Augustinus, malos omnes aut ideo viuere vt corrigantur, aut per eos boni vt exerceantur, quum iam isti has postremas et diabolicas partes satis superque ac ferociter impleuerint, reliquum est vt, mortuis requiem precati, iis qui supersunt mentem optemus saniorem, si quando queant agnoscere Christum Dominum claris magnisque nunc indiciis ad se, hoc est viam veritatem et vitam Ecclesiae suae, filios reuocantem. Caeterum qui sanctam semper victoris styli tui limam, qua vitia resecas, literas ac pietatem expolis, arrodunt, ii non linguam tantum, vt Aesopica mustela, sibi absumptam strident, verum etiam famam, quam vnam ieiuni raptabant, vitamque ipsam, vt plerisque accidit, frustra lugebunt demum abscissam funditus. Ita enim tandem iusto Dei iudicio fieri videmus efferis quibusdam, ac ab omni humanitatis et pietatis cultu alienis; quippe qui ad nihil aliud nati videri possunt quam vt iis obstent qui ad sanctas literas religionemque excolendam omnes labores, omnia consilia atque omnes vitae suae curas intenderunt. Cuiusmodi quidem eos esse certum est qui sanctissimis, Erasme, studiis monitisque tuis negocium facessere conantur.

741. Aesopica mustela] Aesop 86 (Halm).

Sed impios istos ac furiosos homines, vel, vt verius Dauid Hieronymusque vocat, canes libenter suae rabidae relinquimus exedendos τῇ διαβολῇ. Non paucis alioqui nos tueri poteramus, exemplo nimirum Britanniae, Hispaniae, Galliae, et Germaniae; in quibus etsi vnus aliquando et alter emerserit eruditae pietatis tuae sycophanta, in his tamen ipsis regionibus, et maximos Reges et clarissimos Cardinales et potentissimos piissimosque Principes et Episcopos, ac ipsos in primis Caesares, tum innumerabiles probatorum hominum ac eruditorum centurias et chiliadas, bonos denique ac studiosos omnes, habuisti semper et nunc habes tibi amicissimos fauentissimosque. Adeoque nihil rabularum fumi tuo splendori apud hos detrahere quiuerunt, adeo nihil charitatis in te horum minuere susurrones potuerunt, vt ipsi potius inuisi in dies magis tenebris se suis immerserint, tuque illustrior in tua perstes celsitudine, maxime semper doctis piisque omnibus gratiosus et obseruandus. Id vero ipsum et de Italia sentiendum esse quis non videt?

Itaque Zoilis, Cherilis, rabulis et atheis suo odio maloque relictis, ad id iam redimus quod primum dicere instituerамus. Nos, venerabilis Erasme, nostrorum Italorum tam publico constantique confisi testimonio ac iudicio, quos partim inculpatae vitae studium, partim ingens instaurandae religionis ardor, partim non vulgaris eruditio, partim nobilitatis ac dignitatis splendor illustris, partim haec simul omnia ab omni fuco ac simulatione vindicant (qui quidem ducti diuinae vi ipsa veritatis, quam in tuis vident clarissimis vbique monumentis, in tuum amorem rapiuntur), tum nostra ipsorum freti conscientia, qui in te Christum eiusque munera veneramur et exosculamur, haec omnia libere, atque vt animus ipse dictabat, scripsimus, nihil quidquam veriti, ne tibi molestae venirent qualescunque, modo piae, Italorum literae, a quibus te mutuo amari satis credimus te credere. Adde quod nobis omnium qui viuant pessimi, ne dum ingratissimi, visi essemus, si, quum tibi omnes propemodum literas, omnemque debeamus religionem, nullam tamen pro tot tantisque acceptis beneficiis, vel grati dedissemus animi significationem, vel salutem misissemus: praesertim quum tam optata nobis potius quam sperata vicinitatis huius sese obtulerit occasio. Porro siquid ex suis hinc laudibus tua offensa est altissima modestia, id speramus te condonaturum nobis, quum quotidie multo augustioribus elogiis te celebrent principes omnes et orbis et eruditionis et pietatis celeberrimi. Qui primum ea iudicii acrimonia eoque vitae praediti sunt splendore vt adulationis aut erroris nulla in ipsis vel vmbra haerere queat; deinde vt penitius perspiciunt tua decora longe omnium praestantissima, ita pro eadem ingenii felicitate norunt illa suis demonstrare coloribus. Ab iis vndequaque gentium, iam pridem (velis nolis) audire cogeris non modo in omni doctrina virtuteque summus, probitatisque ac eruditionis arcem obtinens, non modo in studiis verae theologiae instaurandis doctorum omnium et huius seculi pater, verum etiam ornamentum orbis, eruditorum Phoenix, Numen, Sol, eximium atque vnicum literarum ac doctrinarum decus, delitium vniuersi literati orbis, ter maximus Heros, publico omnium studiosorum Ecclesiaeque bono natus, *πάντων ἀγαθῶν σωρὸς, μυρμηκία, θάλασσα*, qualem mille annis non viderunt scholae, vix aliqua videbit

753. Non *scripsimus*: Nam *MS.* 793. vndiquaque *MS.*: *correximus.*

posteritas, gloria et splendor humani generis, cuius meritis atque dignitati vix certe totius orbis opes copiaeque satisfaciant. Sed quid nos coeli stellas numeramus aut harenas metimur, quum eiusmodi illustrium scriptorum de te praeconia passim occurrant illustrissima, et nobis iam multas expleueri⟨n⟩t paginas, dum ex innumeris aliquot annotamus, scire cupientes, quae, a quibus, et vbi dicantur? Atque horum quae nunc retulimus, pleraque ante quindecim et amplius annos scripta sunt: quum plane nondum summi Dei benignitas dotes omneis in te suas orbi explicuerat. Qualia vero nunc putandum est vel scribi de te, vel tacitis gratisque animis apud se quenque cogitare, quum tu ex illo quidem tempore non modo Erasmum ipsum superaueris, nulli iam tunc nisi ipsi Erasmo superabilem, verum etiam triplo illum reddideris augustiorem? Quod alioqui fieri vix iis videri poterat qui parum nossent inexhaustam esse munificentiam minimeque abbreuiatam manum Domini in electos suos.

Ignoscet itaque nobis tua potius facilitas, quicquid erratum est, dum ex tanto tuorum cumulo meritorum aliquid obiter attigimus aut (quod magis verendum est) detriuimus, tum ingenii culpa, tum literis non huc proprie destinatis. Prolixitatem vero epistolae, eique parem ruditatem, quam vltro tibi proditum venimus cum versiculis, nescimus quidem quo colore excusemus, nisi tu nostro illi amori veniam des; cuius vere omnia vincentis imperio non parere, periculosum quidem malumque est, nedum *ἀδύνατον*. Is interdum, vt veris tandem bonis potiatur, non perinde solet rumusculis moueri. Sed vt etiam importunitatis huius audaciaeque crimen ego non nihil imminuam: primum illud polliceor, me quidem pro viribus annixurum, ne per similem importunitatem audaciamque tua rursus lenitate ac patientia abutar: quamuis has etiam virtutes in te admirabiles prorsus esse sciam et inuictas. Verum sat sit semel improbum fuisse. Sat sit frena semel equo intactis tamen calcaribus laxasse. Quare quicquid tibi posthac scribam, ipsi mihi scribam vni et sodalibus meis, easque literas velut ad te missas laetus mihimet in sinu, quod aiunt, legam. Haec autem de me ipso dixerim: nam pro Philaeno quid fide iubeam non habeo, vix enim temperaturus videtur, quin altera solus epistola ad te rursus amplectendum aduolet. Alterum est vt a te obnixe petam, magne Erasme, ne mihi vel verbulo cogites respondere; non quod non mellitissima a te futura sit epistola, sed quod Bononiae nobis vna sit tuis picta articulis: quam ipse Patauium precibus monachus quidam doctus, bona quadam fortuna, Bononiam attulit, ostensurus amicis. Quumque illam apud Arnoldum Colonisem, iuuenem vtriusque linguae peritum, qui manum agnouerat, reliquisset in elegantissimo Germanorum, cui videlicet tum is praeerat, bibliopolio, studiosis miro studio ad spectaculum confluentibus, tandem et ego domum detuli descripturus. Interea dum certum expectat monachus tabellarium, qui epistolam referat ad Anselmum

---

816. abbreuiatam . . . Domini] Cf. Isaiah 59. 1.

833. in sinu] See *Adag.* 213.

840. ad Anselmum] No letter of Erasmus to Ephorinus survives. Odonus says that he has had the letter mentioned in his possession for three years; it must have belonged therefore to 1532 (Ephorinus was in Padua in June of that year, Ep. 2539 introd.).

842. Arnoldum] Not known to us.

(nam huic nunquam alioqui daturo ille suam astrinxerat fidem), demum, vt solent, ad alia migrat monasteria. Epistola fuit apud me. Ipse vero Ephorini animum ex animo meo aestimans, diu dispexi num qua ratione domino illam suo incolumem remitterem. Quum autem nec Patauii Anselminae domus vicum tenerem, nec omnino vellem id negocii committere nisi certis fidisque, statui melius esse eam apud me retinere quam temere tam charum pignus credere veredariis. Itaque epistolam tuam *αὐτόγραφον* domi habeo iam triennium. Hanc ego in scriniolis, interque mihi charissima conditam *κειμήλια*, non minore asseruo diligentia, sed maiore cum pietatis fructu, quam hi qui Abbatis Antonii tintinnabulum, aut Guilhelmi monachi lanceam, aut, quod maius est, Sancti Hieronymi Cardinalicium galerum, ad quaestum custodiunt et ostentant. Eam subinde mihi atque meis triumphi ac laureae vice profero: quippe quae ad coronam virtutum literarumque tuarum genuina quadam vi mirum quam tyrones allicit accenditque spectatores. Illam huc veniens Caesari, fratri germano, communes nempe delitias, reliqui et commendaui. Mirabiliter enim et is in tuis sese oblectat libris; ac vix in te amando cederet mihi, nisi duobus prior ego annis te nosse ac legere coepissem.

Quapropter nihil necesse est vt nunc rescribas mihi: quum alioqui quidquid ipse scribis in commune quotidie id ego veluti proprie mihi scriptum interpreter. Caeterum abunde nobis factum est satis, si nostras tu literas occupatissimus vel obiter audire fueris dignatus, sique tantam hanc audaciam boni consulueris. Hoc tibi nos incommodi, hanc temporis iacturam, si quid (praeter animum, qui tuus est) in nobis esset quo pensemus, facile id tibi ac libenter offerretur. Quanquam etiam nos, licet admodum tenues humilesque, iamdudum tamen in tuam ambo gratiam, non paucis in rebus nec minimi momenti, laboramus. Quibusnam, inquis, qui me videritis nunquam? Audies ergo, vir clarissime. Intenderam ipse quidem a puero animum *πρὸς τὴν ἰατρικήν*, neque adeo lucri causa, quod mihi nescio quo pacto semper fuit vilius (tametsi necessarium id fore clamitabant ferme omnes et mihi et fratri; quippe quos a parentibus in infantia destitutos quatuor postea germanae, suis iunctae viris, non omnino beatiores domi reliquerant), sed primum vt laudatissimi patris, minimeque mali aut indocti medici, memoriam ipse non degener *ὁμότεχνος* excitarem (frater enim ad forenses causas, ego ad paternae laudis aemulationem vndique adhortantium voces audiebam), deinde vt non nullis mortalibus adessem ope medica. Verum interim *οὐκ οἰκόσιτος*. Neque enim consilium erat ab egregiorum *τῶν νῦν ἰατρῶν* consiliis recedere, nunquam sine periculo contemptis, qui tum pie tum sapienter (vt praedicant), si minus verbis, certe viuis exemplis, haud patiuntur, errore veterum medicorum, vnicum tam diuini inuenti tantaeque artis esse scopum. Eam itaque ob causam adita est hac tum arte celebris Bononia. Meus vero Philaenus pro patriae simul et animi celsitudine, iuris vtriusque se addixerat professioni: non errans ille quidem affectu, nam animum habet plane philosophicum ac rerum quas vulgus miratur contemptorem strenuum, sed maiorum adolescens aliquot iudicio motus, qui hisce, vt nunc traduntur, legibus et respub⟨licas⟩ stare putant et lites inter ciues dirimi, breuiter humana diuinaque omnia probe gubernari. Itaque ad

883. *ὁμότεκνος MS.: correximus.* 887. *οἰκόσιτος scripsimus: οἰκόσυτος MS.*

sex iam annos Bartolis et Baldis non indiligenter euoluendis consumpserat.

Tuos interim auide dum vterque libros vna legimus: intima enim iam inde, Deo nimirum sic volente, inter vicinos erat et amicitia et familiaritas, tandem secuti *παράκλησιν* illam tuam, *καὶ μέθοδον πειθοῦς* ac spiritus vi efficacissimam—vter prior persuasus id alteri suaserit incertum,—ambo certe postea, vt longe pluribus et melius et gratis opem ferremus, aspirare coepimus ad Theologiam, disciplinarum rerumque omnium multo maxime necessariam, cum semper alias, tum vero hoc plenissimo nimis iam furentium haereticorum seculo, ac nostris praecipue terris, in quibus quaeuis alia potius quam Christianae doctrinae studia magni fiunt, expetuntur ac memorantur. Nam pauculis exceptis monachis, quorum plerique nimium in hac frigent, feruent in sophisticis, apud alios tam clericos quam laicos (proh abominanda misero populo paganitas!) sacratissimae theologiae *οὐδεὶς* plane *λόγος*. Nunc itaque reliquis omnibus ob hanc margaritam posthabitis, in graecas et hebraicas literas magno hic studio incumbimus, quotidieque aliquid ex diuinis libris tum audientes tum legentes doctrinam ac vitam Christo dignam meditamur pro viribus. Hoc autem nos pacto putamus te etiam esse demeritos, vel tuo nobili illo certoque iudice Enchiridio, a quo pronunciatur is demum diuis gratissimus esse cultus, quum in ipsorum gratiam aut exemplum proximus diligitur et Christus rebus omnibus antefertur.

Atque id etiam ipsum (ita me Deus amet) est in causa, Erasme, vt quum saepe cogitem aliquid de tuis laudibus dicere, hoc est sus camelusque saltare, ac vere (vt aliud habet prouerbium) *τὰ τοῦ πυγμαίου ἀκροθίνια κολοσσῷ ἐφαρμόζειν*, quanquam animo vulgata illa statim subeunt, 'Sumite materiam', et

> Quis decus aeternum, quis Erasmi nesciat vrbem,
> Virtutesque librosque et tanti lumina solis?

tum illud vatis vtriusque, quis 'claram Rhodon' aut 'Delon Latoniam' non dixit? quis Helenam aut Herculis praestantiam non laudauit? sed in primis illud aliud prudentissimi poete quasi vni mihi apposite putem dictum, Quis 'ope Palladis Tydidem superis parem' digne scripserit?

> O tenuis, ne tenta grandia, ne sic
> Et risum populo, tibi fessus et ilia ducas,

tamen ob id quoque soleam ab audaci desistere conatu, quod sciam,

---

903. *παράκλησιν . . . μέθοδον*] Odonus has in mind the *Paraclesis* (see Ep. 1253. 22n) and *Ratio seu Methodus* prefixed to Erasmus' N.T. of 1516. For the subsequent amplifications of the *Ratio* see Epp. 745, 1365 introdd.

923–4. sus camelusque] See *Adag.* 41 and 1666.

924–5. *τὰ τοῦ . . . ἐφαρμόζειν*] See *Adag.* 3090.

926. Sumite materiam] Hor. *A.P.* 38.

927–8. Quis decus . . . ; solis] Lines presumably of Odonus' own composition, adapted from Verg. *Aen.* 1. 565–6.

929. vtriusque] Vergil and Horace, quotations from whom are amalgamated in the sentence following.

claram Rhodon] Hor. *C.* 1. 7. 1.

929–30. Delon Latoniam] See Verg. *Georg.* 3. 6.

932–3. ope . . . parem] Hor. *C.* 1. 6. 15–16.

932 Tytidem *MS.*: *correximus*.

934–5. O tenuis . . . ducas] Oddly compounded out of Hor. *C.* 1. 6. 9 and *Ep.* 1. 9. 9.

sicut mihi facilius, ita tibi multo esse gratius, vt ipse linguis interea bonisque disciplinis vacare pergam ac theologiae: quae quidem meis, quibus debeo, ciuibus res est in primis necessaria, et nunc etiam peregrinationis causa. Summae enim, inquam, Erasmi modestiae summaeque pietati certissimum est longe chariorem esse Christianorum profectum quam si cherubicos ipse spiritus ac seraphicos superasse caneretur. Atque adeo ne putes multum ab his nunc studiis intermissum esse temporis. Paulo enim profecto, mihi satis alioqui segni, plus quam vnius hebdomadae periodus his omnibus vtcunque scribendis ac describendis data est: ruditas autem ipsa satis loquitur, non longa haec e meditatione aut ex arte, quae mihi, etiam si maxime voluissem, nulla est, sed e magna cordis abundantia effluxisse omnia. Quanquam hoc ipsum quid opus erat excusare, quum certe, si id quod sentimus ipsi quodque res ipsa est dicendum sit, nobis hos dies a Christiano studio minime recessisse videamur, nisi forte aliqui parum Christianum esse putent Christi munera agnoscere, et in sanctis illum suis quatenus licet venerari? Porro ista quaecunque ad te scripsimus (tametsi non ita vt non longe plura in amplis amantissimi animi recessibus supersint) ob Christum praecipue Dominum nostrum, ipse nouit, scripsimus: quem dies noctesque anima nostra celebrat atque magnificat, quod te talem his temporibus dederit literis populisque suis ministrum ac doctorem. Cuius quidem libros eruditione sacra plenos quisquis legerit amanter, Christum profecto veramque eius doctrinam nescire ac non amare non poterit; idque cum multorum salute copiosa, caeterum offensione, boni certe ac sobrii vllius, nulla.

Probatur autem, et maxime, studium eius qui vehementer afficitur et gestis et laudibus et scriptis Pauli, cum alias excellentis organi atque ampli diuinarum legum interpretis, tum miro quodam modo omnia omnibus facti vt Christo plures lucrifaceret. Is enim [ille studiosus] necesse est vt multo vehementius Christum ipsum Paulinae facundiae et argumentum et autorem complectatur, ad eumque cum simili fructu praedicandum magis inflammetur. Nec vllo pacto, dum id agit, cessare dicitur aut remissior euadere. Permagni siquidem referre omnes arbitrantur, et in rebus aliis et in religione praesertim, qualem sibi quisque officii commonstratorem

diligat et primis mirari assuescat ab annis.

Nos vero in te dum sumus, dici vix potest quantum ad bonas literas, ad sacra studia, ad perpetuo bene merendum pro virili, ad Christianam magnanimitatem, tolerantiam, moderationem, modestiam, breuiter ad totum Christum, accendamur. Ipsi Christo animorum ac rerum omnium autori, variisque modis ad se suos attrahenti, honor sit et gratia in aeternum.

Hactenus, Erasme noster, in praesentia tecum satis, quanquam te vix dimittere nunc quimus. Reliqua, si molestum non erit, quum

965–6. ille studiosus *seclusimus*: *sed fortasse* illo studio suo *scribendum*.

937. tibi . . . gratius] Erasmus, when he met Odonus, advised him that he would be better employed writing verses on the God in heaven (*de Domino coelesti*) than in making an earthly god of Erasmus (Cog. E. i. 308). What Odonus here says perhaps recalls Erasmus' advice; and may have been inserted in the revised version of the letter (see l. 654n).

965. omnia . . . facti] 1 Cor. 9. 22.

972. diligat . . . annis] Cf. Verg. *A.* 8. 517.

te coram ad proximum Pascha, Deo fauente, conspexerimus, commodius ac iucundius exponemus. Nam etsi iam pridem tibi nos per literas commendatos esse scimus ab humanissimo atque doctissimo viro Sinapio Suinfordensi, qui nunc Ferrariae medicinam summa cum laude profitetur, quia tamen eas an acceperis nescimus, ne hospites plane nouique veniamus, cupimus vterque nouas afferre commendatitias literas Doctoris eximii Capitonis: ad quem, et aliarum linguarum et sanctae in primis longe peritissimum, hucusque venimus audituri hebraice; quando nostris in gymnasiis, vt vtrique testamento, ita his etiam literis, nullus omnino nec locus est nec honos. Is vero nunc abest reuocatus in patriam a propinquis, ad domestica quaedam negocia componenda. Simul atque vir nostri amantissimus redierit, nos isthuc aderimus ambo; non ad tuam vmbram sypharque, vt ipse soles appellare, sed vt promptissimum et fidelissimum coelestis istius animi collegam, purumque Sancti Spiritus templum, contemplemur: ad quod multi ab vltimis vsque terris, longe cupidius quam ad lacteum olim Liuium, concurrunt: quod etiam vel semel videre contigisse, proceres summi summae sibi felicitatis loco ducunt. Quae nobis nisi eadem mens esset, nisi te visitare, praesertim tam vicini, studeremus, tum vero nobis non Christiani modo, sed ne hominis quidem nomine digni videamur. Quum vel Tullius, probae antiquitatis institutor, iuuenes velit sanctam religiose colere senectutem: quo etiam nomine moribus Cato laudatissimis tum illorum tum suam et aequalium aetatem celebrat, quum dicit ab optimis quibusque adolescentibus sacram maxime caniciem venerari, dum ii in ducendis ac reducendis senatoribus tam frequentes adsunt, dum tanta eos alacritate dies totos ante curiae fores praestolantur. Atque haec quidem ethnici apud ethnicos. Quid iam nobis Christianis primo Dei praecepto ad omnia eademque perfectiora pietatis atque humanitatis officia vocatis agendum, cum Christiano nobilissimo, deque Christiana Repub. merito quam optime? Scimus modestiam tuam ista non morari. Nec ignoramus in libris tuis praeclaram pulcherrimamque tui ac piissimam imaginem spectari. Sed summa sit ignauia, ac pene impietas, tam rarum diuini muneris miraculum, dum terris conceditur, non aduertere. Ambo vidimus Bononiae, duobus quidem temporibus, sed plus ducenties, supremos orbis Principes. At nondum vidimus illum vnum vere *τρισμέγιστον καὶ τριστέφανον* Erasmum, *πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων*. Ad hunc igitur amplectendum *ἀγαθῇ τύχῃ* accingamur. Tu interea, noster iucundissime Desideri, in nostram caeterorumque amicorum gratiam sanctissimam senectutem tuam cura diligenter. Quam tibi Dominus Deusque noster Iesus literis, theologiae, suaeque Ecclesiae diu seruet incolumem. In eodem semper bene vale, vir incomparabilis, et nos, quod spero facies, mutuum ama. Hoc ipso nobis neque gratius neque optatius succedere quidquam potest.

Argent. anno MDXXXV.

Tuus ex animo Io. Angelus Odonus.

Des. Erasmo Roterodamo de bonis literis, Theologia, Ecclesiaque optime merito. Domino suo maxime supraque vniuersos venerando.

---

984. Sinapio] For his letter see Ep. 2956 introd. Neither his letter of introduction nor that of Capito is extant.

1018. *πολλῶν . . . ἄλλων*] Hom. *Il.* 11. 514.